



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 8. Ad malos bono fine intrari posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tur. 2. Aliquid debemus proximo, vt eum exemplo non offendamus; neque à malo dumtaxat, verùm etiam à specie mali abstinere. Itaque non in quouis probaretur, si Vitalium hñc vellet imitari. Ex peculiari tamen Dei instinctu Sanctus iste in meretricias domos intrauit, sicut alij nōnulli in ardentibus fornaces, & medias flammās, vt appareret, Deo non difficile esse, homines in maximis periculis conseruare. 3. Duobus autem miraculis demonstraui diuinā bonitatem, cum instinctum à se esse profectum, cum voluit & meretricem arcana pandentem, & temerarium illum injuste percutientem à malo dæmone insideri. 4. Duas insuper alias ob causas id cōsiliū Vitalio suggestit. Siquidem eo virtutem Ioannis Eleemosynarij illustraui pariter, & vitium ganeonis illius oculis hominum exposuit. Nec ganeonis tantum, sed plurimorum quoque aliorum, qui idem iudicium de castissimo viro tulerunt.

§. VIII.

Ad malos bono fine intrari posse.

Ioannes autem Eleemosynarius tantò pluris est faciendus, & verè inter perfectos accensendus, qui non scandalizantur, quia

Psal. 118
165.

- non solum Vitalium non iudicauit more
vulgi, sed etiam adeo non offensus est, more
Matth. 9. eorum, qui dixerunt: *Quare cum publicanis
11. & peccatoribus manducat magister vester?* et
cogitaret, multas illo ingressu virtutes posse
exerceri. Sciebat enim à quibusdam Sanctis
talìa fieri, vt ab hominibus contemnantur,
à quibusdam, vt, more Domini sui, existi-
Matth. 15. ment, se missos esse *ad oues, quæ perierunt,
24. quærendas & saluas faciendas.* Vnde & ipse
ad Zacchæum & alios publicanos, quin & ad
Matth. 18. Phariseos ipsos diuertit. *Quia non est volun-
14. tas ante Patrem vestrum, qui in caelis est, vt pe-
reat vnus de pusillis istis.* Quo pacto etiam, vt
S. Ephr. Nepris sua scortum facta periret, eremita
de erem. Abrahæ. Abrahæ, mutato habitu ad eam intra-
uit, specie quidem tamquam peccaturus, et
mo, autem ipsa, vt eam è sordibus ac peccatis
extraheret. Tali mente etiam Vitalium itare
ad meretrices cogitauit Ioannes Eleemosy-
narius. Magna hæc virtus fuit, videre, vel
audire ingredientem aliquem in lupanar,
& mali nihil de eo suspicari, nihil sinistrum
cogitare. Potuisset illi occurrere Phinees, &
Israëlitæ, quorum isti, ob similem ingressum
Num. 25. in lachrymas, ille in maximam indignatio-
6. nem, concitati sunt. *Et ecce vnus de filiis Israë-
intrauit*

intrauit coram fratribus suis ad scortū Madianitidem, vidente Moysē, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem, in locis genitalibus. Cessauit q̄ plaga à filijs Israël. Placuit ergo Numini illud iudicium & Phinees, & Israëlitarum; & tamen non placuit hoc iudicium, quod de Vitalio isti tulerant, quorum vnum inflicta alapa, immissoq; imundo spiritu, ob suam temeritatem castigauit.

§. IX.

Cautio in iudicijs adhibenda.

Nimirum aliud est, iudicium ferre de leuis armaturæ homine, aliud de viro in virtute diu probato, qualis fuit Vitalius sexagenarius, inter Sanctos educatus, & tot annis sanctè conuersatus; de quo etiam non sanctos adeunte, nihil debebat, nisi sanctum iudicari. Immò laudabiliter facit, qui etiam de plebeio non laudabile quiddam faciente iudicium suspendit, vel excusationem quaerit. *Non iudicemus quemquā*, ait S. Ephrām, S. Ephr. quia non nouimus eius pœnitentiam: neq; si quid paræn. 4. viden-